

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

cati sunt. Itcirò tanquam Dei legatos eos suscipere, iisdem omnem obedientiam & benevolentiam præstare debemus, legatione pro Christo fungimur, ait Apostolus, tanquam Deo exhortante nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, 2. Cor. 5, 20.

Quando verò hic Christus Apostolis dicit: Sicut me misit pater, & ego mitto vos: nõ intelligendum id est, de operibus officii mediatorii. Est enim & manet unus ille mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. Sed similitudo hæc consistit.

1. *In mandato.* Ut enim à patre missus est ad evangelizandum, & prædicandum, Ef. 61, 1. sic etiam discipulos ablegavit, ad docendum omnes gentes, Matth. 28, 19.

2. *In Effecto.* Sicut enim Christi prædicatio efficax fuit, ad pœnitentiam, & remissionem peccatorum, Marc. 1, 15. Sic etiã Apostoli prædicaverunt ubiq; Domino cooperante, & confirmante, sequentibus signis, Marc. 16. v. ult.

3. *In periculo.* Sicut enim Christus tempore ministerii mundi odium & persecutiones sustinuit: sic & similiter Apostoli, Heb. 11. v. 37. 38.

4. *In patrocínio.* Sicut enim Christus à Patre cœlesti tutelam habuit, usque ad tempus passionis, quam voluntariè subibat: Sic Christus quoque discipulos patrocínii sui certos esse voluit, Zach. 2, 8.

5. *In præmio.* Sicut enim Christus ad dexteram Dei patris exaltatus est: Sic & Chri-

stus Apostolis suis promisit, quod edere & bibere debeant super mensam suam in regno suo. Luc. 22. v. 30.

Omnes igitur legitimè vocati, & fideles Pastores, ministri Christi, & dispensatores sunt, mysteriorum Dei, 1. Cor. 4, 1. Sicut hoc sine iisdem concedidit binas illas Ecclesiæ claves, ut potestatem habeant cœlum pœnitentibus peccatoribus referandi, idemq; impenitentibus ocludendi, non quidem tanquam Domini, sic enim Christo soli attribuentur, Apoc. 3, 7. sed tanquam *omnigeros*, 1. Cor. 4, 1. Psal. 115, 1.

Interea magnum hoc nobis est solatium, quod miseri nos peccatores, qui quotidie delinquimus, Psal. 19, 13. ex ore Ecclesiasticis peccatorum remissionem percipere, & misericordiam consequi, & gratiam invenire possimus in auxilium opportunum, Hebr. 4, 16.

Non proinde despiciere debemus clavem hanc, sed cum gaudio usurpemus, Et Deus aliis quoq; clavibus, quæ in scripturâ ipsi tribuuntur, utetur. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum, Deut. 28, 12. Et effundet benedictionem ad abundantiam, Mal. 3, 10. Aperiet quoq; die novissimo tumulos nostros, & educet nos populum suum de sepulchris nostris, Ezech. 37, 22. Recludet quoq; Paradisum, & accipiet nos ad seipsum, ut ubi ille est, & nos simus, Joh. 14, 3. & videamus claritatem ejus, Joh. 17, 24. Fiat, fiat id, per

Christum, Dominum, & Salvatorem nostrum, Amen!

Dominica Misericordias.

Evangelium, Iohan. 10. v. 11. --- 16.

EXORDIUM.

CUM S. Patriarcha Jacobus oves Saceri sui Labani pasceret, fideliter munus hoc suum exantelabat, ut meritò pastor bonus appellari possit, præ-

præcipuè ideò, quia hoc ipso *typus Christi* fuit, qui in prælecto Evangelio ait: *Ego sum pastor ille bonus*, in quem nimirum sancti Patriarchæ & Prophetæ V.T. velut typi collimarunt, Gen. 29. v. 30. 31.

Jacobus amovit lapidem, quo putens claudebatur, ut grex eò commodius adaquari potuerit, Gen. 29. v. 11. Sic Christus cœlestis ille Jacobus, immane peccatorum saxum, à fonte misericordiæ divinæ amovit, & in profundum maris misit, ut jam aquas in gaudio, de fontibus salvatoris haurire possimus, El. 12. 3. & gratiam invenire, in auxilium opportunum, Hebr. 4. v. 16.

Jacobus die noctuq; astu urgebatur, geluq; fugiebatq; somnus ab oculis ejus, Gen. 31. 40. Sic Christus multa pro oviculis suis perpeffus est, Esa. 53. v. 4. 5. Maceratus est *astu ira divina*, quæ ignis consumens est, Deut. 4. v. 24. Affectus est gelu & inopiâ, non habuit, ubi caput suum reclinasset, Matth. 8. v. 20. Multas quoque noctes in precibus fuit, in primis per noctem viridium dolorosam noctem habuit, ut non immeritò conqueratur: *Servire me fecisti in peccatis tuis*, Esa. 43. v. 25.

Jacobus ovium suarum fidelem curam gessit, easq; adversus lupum defendit, ipse enim deperditas restituere cogebatur, ut ipse ait: nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam, quicquid furtim peribat, vel interdiu, vel nocte, a me exigebas, Gen. 31. v. 39. Sic Christus quoque ex rictu infernalis lupi oviculas suas eripuit, eosq; in hodiernum adhuc diem tuetur, ut portæ inferorum non possint prevalere adversus eas, in æternum, Matt. 16. v. 18.

Jacobus noverat oves suas, easq; segregabat à grege Labani, erantq; quæ primi

temporis, Jacobi, serotinæ verò Labani, Gen. 30. v. 42. Sic & Christus oviculas suas cognoscit, easq; à mundo separat, Joh. 15. v. 19. *Quæ primi temporis* sunt, h. e. quæ in tempore resurgunt, si fortè ex imbecillitate lapsi sunt, in gratiam reassumit, ut de buccellâ illius comedât, & de calice ejus bibant, & in sinu illius dormiant, ut Nathan loquitur, 2. Sam. 12. v. 3. h. e. omni necessitate quæ animam, quæ corpus illis subvenit, ut bonitas & misericordia illas prosequantur, omnibus diebus vitæ suæ, Psal. 23. v. 6. *Serotinas* verò, quæ penitentiam differunt, donec amplius non peccare possint, per spaciosam viam incedere finit, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7. v. 13.

Jacobus augebat gregem suum, & quia cum focero suo ipsi convenerat, ut maculosæ, ut punctatæ & adustæ ovicula sibi loco mercedis forent, virgas populeas ponebat in canalibus aquarum, ante oculos ovium, ut in earum contemplatione conciperent, sic agni evadebant maculosi, & varii, & diverso colore respersi, Genes. 30. v. 37. & seqq.

Sic & cœlestis Jacobus, Servator noster Jesus Christus gregem suum amplificat, dum oviculas ad canales aquarum Evangelii sui salvifici deducit; quando igitur, dicta consolatoria Veteris & Novi Testamenti nobis proponuntur, concipimus super virgis his Jacobæis, h. e. replemur Spiritu sancto, qui non otiosus est in cordibus: sed testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei, Rom. 8. v. 16. 17.

De hoc bono & fideli Pastore, plura audiemus in prælecto Evangelio nostro, conferemus igitur nos ad ipsius tractationem, ut discamus ex eo:

I. Ἀνδροπολιαν, sive *notitiam nostri.*II. Χριστορωσιαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exegesis.

Sicut Servator noster pientissimus Maria Magdalena in formâ hortulani apparuerat, Joh. 20. v. 15. eoque indicavit, se venisse, ut ex hortis carnalium voluptatum, quos Diabolus in mundo passim plantavit, ad se nos alliceret, inque hortum suum reverteremur, & pretiosos fructus, quos per resurrectionem suam acquisivit, comedemus, Cant. 9. v. 16.

Sicut etiam discipulis Emaunticis in Viatoris formâ apparuit, ut doceret nos, quod in hoc mundo civitatem permanentem non habeamus, sed futuram studiosè inquirere debeamus, Hebr. 13. v. 4.

Sic in presenti Evangelio audimus, quod ut pastorem nobis commendatum oviculæ obsequentes sequi debeamus, si velimus in ovili ecclesiæ, hic temporaliter alendi & defendendi, tandem aliquando, in ovile æternæ securitatis introduci, idè ipse ait: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, Joh. 10. v. 27.

Notitiam verò nostri hinc discere possumus, si intuemur:

I. *Pastoris titulum*, ait enim Servator: Ego sum Pastor ille bonus. Est hoc nomen vile & despectum: quod si ratione nostrâ metiri velimus, magis Christum autoritatis suæ consuluisse, videri posset, quia cum adversariis suis infensissimis rem habebat, si nomine hoc omisso, titulo Regis Regum, vel filii Dei vivi, vel ducis vitæ, vel simili usus fuisset, quod ex re & vero facere potuisset. Pecorum enim pastores, semper despecti, & in tenui pretio in mundo

fuerunt. Ægyptii detestabantur omnes pastores ovium, Gen. 46. v. ult. In pari contemtu apud alios quoque fuerunt. Sed eodem modo hic se res habet, ut aliàs Deus loquitur, Esa. 55. v. 8. 9.

Ex hac enim causâ, quod Christo cum Scribis & Phariseis negotium intercedebat, qui se solos pastores profitebantur, & claræ scientiæ sibi arrogabant, Luc. 11. v. 52. Christus ipsis sese opponit, ait: ἐγὼ εἰμὶ ὁ ποιμὴν ὁ καλός, Ego sum pastor ille bonus, quem Deus populo tuo promisit, sicut id ipsum in capite X. Johannis multis egregiis argumentis probat & confirmat.

Hic probet se unusquisque, an etiam in functione & vocatione illa, in qua à Deo collocatus est, cum Christo verè dicere possit, Ego sum pastor bonus.

Triplices enim dantur pastores: 1. *Pastores in campo*, 2. *Pastores in foro*, & 3. *Pastores in choro*. Qualibet pars habet regulas præscriptas, juxta quas incedere debet, imprimis verò ad exemplum Christi fideles se exhibeant, ut dicere possint: Ego sum pastor bonus.

Pastores in Campo sunt, qui ex re pecuariâ victum sibi acquirunt, & aut proprias pecudes habent, sicut Abel, Gen. 4. v. 2. aut mercedem merentur apud alios, uti Jacob, Gen. 30. v. 32. Hoc vitæ genus est honestissimum & antiquissimum, quod S. Patriarchæ, multiq; alii summi viri professi sunt, Gen. 47. v. 3.

Licet autem hi Pastores in mundo parvi æstimentur, attamen Deus peculiariter eos prætulit, ut non modò apparuerit iisdem, sicut Jacobo & Mofi factum est, Genes. 31. v. 3. cap. 32. v. 25. Exod. 3. v. 2. sed etiam à caulis ad aulam evexerit, uti Davidem, 2. Sam. 16. v. 11. vel etiam à boum

Z

grege